



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXII. De relevantia probationis jam factæ per testes vel per attestaciones; Et de exceptionibus, quæ testium fidem adimant, vel minuant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

Qualitas item, seu natura privilegiata causa, hanc denegationem suadere solet; Puta quia agatur de spolio, vel attentatis, Aut de processu executivo in vim obligationis camerale, vel alterius pacti executivi, sive literarum Apostolicarum, aut de summariissimo privilegiato iudicio manutentionis cum similibus, in quibus regula est, quod remissoria dari non debet, vel saltem dari debet sine retardatione iudicii, vel processus executivi; Et tamen quando praesertim detur vehemens fumus, vel quod alia iusta causa accedat, in his etiam casibus concedi quandoque solet, etiam cum retardatione, quae tamen pure decerni non solet, sed reservatur arbitrio regulando ex modo exequendi eandem remissoriam, ut scilicet in casu diligentis ac celeris executionis expectentur probationes ad effectum videndi quantum relevent. *Royas decis. 96. & 466. decis. 276. par. 6. rec. decis. 101. par. 10. dec. 585. par. 5. add. ad Buratt. decis. 211.*

Quinimo, etiam si remissoria concessa esset sine retardatione, adhuc tamen si ille, qui eam obtinuit in eius executione diligens fuit, adeo ut re adhuc integra processum remissorialem in actis exhibuerit, commendabilis est stylus saltem gustandi de probationum relevantia, ac interim super sedendi.

Regula quoque juris prohibet concessionem secundae remissoriae, quoties prima habita & effectuta fuerit, atque testificata, publicata, seu didicita sint ob praesumptionem, quod tunc litigans curaverit inducere testes meliores, unde propterea intret mala praesumptio, quod ita curet obtinere alteram, ad effectum inducendi testes falsos, & subornatos; Et tamen frequens praxis docet hujus regulae limitationem, Vel ob examinis nullitatem, Vel quia novi articuli concernant res diversas, Aut quod concernant easdem melius explicatas cum similibus. *Buratt. & add. decis. 228. & decis. 824. & 816. & 180. decis. 334. par. 11. rec. decis. 235. par. 5. Caril. dec. 238.*

Quaestione cadente, quando testificata dici debeant didicita, seu publicata; Atque receptum est ea dici talia, quando sequuta communicatione depositionis, vel summarii Partibus, processum quoque fuit ad dispositionem super relevantia depositionum, deducendo exceptiones in persona, vel in dicto, juxta ea quae habentur *disc. seqq.* Secus autem ubi solum sequuta esset communicatio summarii Partium Advocatis, & Procuratoribus, absque aliqua discussione, cum tunc iste actus non tollat facultatem alterius probationis, ex recepto Curiae stylo inducto; Tum ob probatam eius Curialium fidem; Tum etiam quia stylus est dandi summarium sine nominibus testium; Et in summa, est materia arbitraria, quae certam non recipit regulam, sed tota pendet ex singulorum casuum qualitate & circumstantiis, spectato sine, seu ratione, ob quam lex eius denegationem demandet. *decis. 521. par. 5. rec. Carill. dicta dec. 238. in fin. Seraphin. decis. 688. Gregor. dec. 497. Buratt. decis. 597. & saepius.*

In dubio autem, pro concessione potius responderi solet, dum Curia sequitur canonicam aequitatem, quae suadet, ut veritas naturalis attendi debeat, illaque semper admitti, negligendo quasdam juris civilis subtilitates, vel superfluitas formalitates. *Buratt. & add. decis. 28. add. ad dec. 606. par. 5. rec. decis. 101. par. 10. adeo ut quandoque etiam tertia remissoria concedi soleat, quando iusta causa suadeat. Buratt. decis. 816. & saepius praeclavi.*

Omnia vero praemissa circa remissoriam, pariformiter procedunt in compulsoria speciali, quae eandem vim habet, sive eundem operatur effectum

dilationis impeditivae ulterioris progressus causa, cum eadem ratio pariformiter intret, ideoque adesse debet relevantia, & abesse calumnia, ac etiam, ut doceatur de existentia, *Vestr. lic. 6. cap. 1. Bich. decis. 475. 110. par. 10. rec. 156. par. 11. Buratt. decis. 555.*

Super articulo impertinentia, & refectione, cadere solent quaestiones, quae tamen pariter certam non admittunt regulam, sed ex facti circumstantiis fortius vero ex Tribunalium styli, decisionem recipiunt, atque praxis Curiae est ad evitandas huiusmodi discussiones, an, & qui sint impertinentes, illos admittere cum praeservativa, sine praedictio impertinentium, & non admittendorum. *Vestr. in prax. lib. 5. cap. 14. & 15. decis. 521. num. 11. par. 5. rec.*

Denegari etiam regulariter debet in materia obiectiva, & ad probandum delictum; Secus pariter id plures recipit limitationes, ideoque non datur certa regula, ubi scilicet incidenter ad alium finem; Licet ad effectum istius, vel similis limitationis considerari soleat fumus, *Buratt. & add. dec. 28. 357. 587. & 877. decis. 5. par. 10. rec. Cremonen. parochialis 15. Junii 1646. coram Cerra.*

Excommunicato quoque negari solet, *Buratt. & add. decis. 23.* Ac etiam attentanti, vel spoliatori; Non tamen negatur ad excusandum ab attentatis, vel a spolio. *Royas decis. 228. & 433. Gregor. decis. 276.*

Quando vero data est uni parti, regulariter non debet alteri denegari, quamvis & id certam non habeat regulam, sed pariter sit arbitrarium pro facti qualitate. *Royas dicta decis. 228. & in aliis de quib. add. ad dicta decis. 606. par. 5. rec.*

Terminus remissoriae currit a die qua consignata fuerunt literae petitori, illaque datus uni, est communis alteri parti ad reprobandum, ideoque ad hunc effectum regulariter non datur nova remissoria, nisi quando calumnia excludatur, & facti circumstantia ita suadeant. *Buratt. & add. decis. 501. & 587. decis. 327. par. 5. rec.*

Alia plura habentur in hac materia, super quibus pene impossibile est regulam dare, cum tota sit materia facti, & arbitrii, cui totum remissum est. *late add. ad dictam decis. 606. par. 5. rec.* Ac propterea a simili eorum quae supra habentur, tradenda sunt linea, seu facienda est applicatio, habendo, ut dictum est praefacienda sine, seu rationem regularum, ac limitationum, non autem inherendo generalitatibus, aut quid, in uno, vel in altero casu, decisum, seu practicum fuerit, cum impossibile videatur, ut omnium casuum eadem circumstantia, ita adamussim individuent, ut quod in isto casu est decisum, in altero decidi pariformiter debeat, ideoque est materia, quae indiget iudicibus probis, ac iudiciosis magis, quam puris leguleis.

De relevantia probationis jam facta per testes, vel per attestaciones; Et de exceptionibus, quae testimonium fidem adimant vel minuant.

S U M M A R I U M.

- 1 Duplici specie probationis per testes, solemniter scilicet, & informiter.
- 2 Fides vel attestaciones extrajudiciales, & informes non faciunt probationem.
- 3 Fallit ubi agitur de attestacionibus Magnatum.
- 4 Ac etiam fallit concurrentibus admniculis.
- 5 Quomodo in prima limitatione procedendum sit.

Et

- 6 Et quomodo in altera.
- 7 Distinguntur diversa species informium attestatorum, & quod differunt fides ab examine ad perpetuam rei memoriam.
- 8 Et majoris ponderis est examen judiciale, quod laboret aliquo defectu.
- 9 Quomodo in materia Iudex procedere debeat.
- 10 Testes formiter examinati attenduntur, & probant.
- 11 Fallit ubi testes patiantur exceptiones.
- 12 Quod materia sit iudici arbitraria.
- 13 De diversis speciebus exceptionum.
- 14 Testes debent examinari de mandato Iudicis, coram quo causa pendet super aliis ab eodem Iudice admisis.
- 15 Debent esse jurati, & coram quo iuramentum praestari debeat.
- 16 Debet iuramentum praestari in termino.
- 17 Debet citari pars ad videndum eos jurare, & quomodo debeat concipi citatio.
- 18 Debent examinari cum interrogatoriis.
- 19 Debet etiam intimari parri tempus examinis conducendo interpretem.
- 20 De citatione ipsorum testium.
- 21 Debet citari pars quantumvis in Curia contra eam procedatur per contradictas.
- 22 Quando partis citatio possit omitti.
- 23 Respicendum est ad finem, vel rationem legis, non autem ad verba.
- 24 Defectus citationis sanatur per consensum vel compositionem partis.
- 25 De eodem, & quod non possit opponi defectus, quem ipse opponens patiatur.
- 26 Qualis stylus debeat adhiberi, an ille delegantis vel delegati.
- 27 De cautela transmittendi instructionem, ut examen valide fiat in partibus.
- 28 Examen fieri debet in loco designato in remissoria.
- 29 Et coram Iudice competente, ideoque in causa spirituali non sit coram laico.
- 30 Debet fieri coram Iudice remissoriali, qui alium subdelegare non potest.
- 31 Ubi adsit aliquis defectus, quomodo testes examinari attendi debeant, & quando repetitio, seu novum examen sit necessarium, nec ne.
- 32 An, & quando mors vim habeat iuramenti, ut testibus mortuis sit deferendum.
- 33 De eodem de quo num. 9. & 12. quod non sit procedendum cum generalitatibus.
- 34 De agentibus de exceptionibus personalibus testium, & quomodo sit procedendum.
- 35 In his que sunt de sui natura difficili probationis admittuntur etiam testes, qui patiantur exceptiones.
- 36 Praesertim in probatione matrimonii.
- 37 Et in probatione naufragii.
- 38 Numerus testium supplet defectus.
- 39 Admnicula operantur eandem suppletionem.
- 40 De famulis vel familiaribus, an & quando non sint idonei testes.
- 41 De Advocatis, Procuratoribus, & sollicitatoribus.
- 42 De pluribus generibus personarum suspectarum.
- 43 Qualitas, vel gravitas causa in hoc nimium attendi debet.
- 44 Non praesumitur falsitas pro modica utilitate.
- 45 In possessorio praesertim retinenda non attenduntur exceptiones contra testes, & quando secus.
- 46 Testes de collegio vel de universitate, an sint attendendi.
- 47 De testibus impuberibus, vel deponentibus de rebus ante pubertatem.
- 48 De vasallis, & subditis.
- 49 De mediatoribus, & proxeneris.
- 50 De regula, quae in his exceptionibus teneri debet.
- 51 Variatio, vel contrarietas, aut mendacium quomodo, & quando attendatur.
- 52 Testi est deferendum potius in his, quae dicuntur super interrogatoriis, quam super articulis, & non desertur in his, qui non respondent interrogatoriis.
- 53 Unus testis potest ab alio melius deponente suppleri, vel declarari.
- 54 De testibus deponentibus de tempore, & an deponendo dubitative, vel de credulitate, probent.
- 55 Testes nimis contestes, & per eundem sermonem sunt suspecti.
- 56 An possit testis se corrigere, vel affirmare quod negaverat, & e contra.
- 57 An possit deponere relative ad fidem, vel ad primam depositionem, sive ad alios, vel ad aliquam scripturam.
- 58 De duplici diversa specie singularitatis.
- 59 Testi unico non creditur, atque dictum unius, dictum nullius, sed quando testi unico vel singulari deferatur.
- 60 De distinctione inter singularitatem obstativam, & admniculativam.
- 61 Quando sit singularitas excusabilis necne.
- 62 De regula quod falsus in uno, est falsus in omnibus.
- 63 De singularitate admniculativa.
- 64 An & quando testis teneatur assignare causam seu rationem scientiae.
- 65 De probatione negativa.
- 66 De testibus de auditu.
- 67 Quod hodie omnes quaestiones sint super applicatione iuris ad factum.
- 68 Testis de tractatu, & non de conclusione nil probat.
- 69 De testis loquutione indefinita quomodo debeat intelligi.
- 70 De deponente extra articulos.
- 71 De varia depositione, an debeat attendi prima, vel secunda.
- 72 Testi afferenti se falso deposuisse an credatur.
- 73 Testes in criminalibus non attenduntur in civilibus.
- 74 In conspectu testium, quibus magis debeat deferri.
- 75 An eis deferendum sit potius contra inducentem, quam contra alteram partem.
- 76 De testium tormentis.
- 77 De eorumdem coactione.
- 78 An testes possint instrui, vel cum pecunia, & premio allici.
- 79 De competentia, quam Iudex alias incompetens acquirit contra testes, qui falsum coram eo deponant.

DISC. XXXII.

PROBATIO per testes, duplicem habet speciem; Unam scilicet solemnem, ac formiter judicialem quae de mandato iudicis in termino per eum statuto, cum iuramento, ac parte citata, aliisque de jure, vel de stylo, servatis servandis, facta sit; Et alteram, quae extrajudicialis, vel informis dicitur; Istaque posterior in tres alias species dividitur; Unam scilicet, per mere privatas attestaciones in forma simplicis schedulae, vel apochae

ab attestante scripta vel subscripta; Alteram qua dicitur per testes ad futuram rei memoriam, sive pro informatione coram Notario publico, vel apud acta alicujus iudicii, etiam cum juramento examinatos nomine tamen citato, atque in forma voluntaria potius quam contentiose jurisdictionis; Et tertiam illorum testium, qui examinati quidem sint in iudicii calore, atque in forma contentiose potius quam voluntariae jurisdictionis, sed ob aliquam examinis nullitatem, informes dici mereantur.

Quatenus itaque pertinet ad secundam speciem, 2 qua in dictas tres alias subalternas distinguitur; Regula est generalis negativa, quod scilicet perfecta, & concludentem probationem non faciunt cum attestations potius quam testes dicantur, unde prodiit vulgare Practicorum dicitum, quod fides non facit fidem; Atque in iure dispositum est quod, testibus, non autem attestacionibus est deferendum. *Gregor. & add. decis. 214. Buratt. & add. decis. 113. decis. 67. num. 8. par. 10. rec. & passim.*

Adhuc tamen limitationes patitur ista regula; Vel scilicet ex qualitate personarum, qua attestaciones faciant, quia nempe agatur de Principibus, 3 vel Magnatibus, aliisque conspicuis personis, ecclesiastici, vel secularis ordinis; quibus pro regionum moribus, incongruum, vel indecorum sit, ut formali examini iudiciario, cum alterius partis interrogatoriis, ac interventu Interpretum, aliisque formalitatibus se exponant, unde propterea eorum consuetudo sit, veritatem attestari per litteras, vel per privatas scedulas ab eis subscriptas; Quoties tamen proprium in causa interesse non habeant. *Merlin. decis. 714. num. 16. repetit. decis. 594. par. 5. rec. decis. 181. post Zacch. de obl. Bich. decis. 316. & examinatur in tit. de emphyteus. in supplemento in Asculana.*

Vel quia agatur de attestacionibus, qua habeant 4 sufficiens fomentum adminiculorum, ex quorum conjunctione, ista imperfecta probatio perfecta fiat *add. ad Gregor. dicta decis. 214. add. ad Buratt. dicta decis. 113. Merlin. dicta decis. 714. num. 18.*

Huiusmodi vero generalitates, tam circa regulam, quam circa limitationes, ita in abstracto, verae sunt, nullamque patiuntur controversiam, Verum ea 5 frequenter cadit in applicatione ad factum, cuius potius, quam juris, istae quaestiones esse videntur, an scilicet, & quando personae attestantes dicantur de illo primario magnatitio ordine ecclesiastico, vel seculari, ut pro moribus regionis, earum privatae attestaciones fidem mereantur; Et quatenus sint, an urgeant circumstantiae, vel suspiciones, qua hanc fidem adimant vel minuunt, *locis proxime supra.*

Sive, an, & qua dicitur valeant sufficientia adminicula, qua privatis attestacionibus tale robur 6 tribuant, ut perfectam probationem concludant; Super his autem, impossibile est certam regulam statuere generalem, quibuscumque casibus applicabilem, cum revera toam pendeat ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, prudenti Iudicis arbitrio ponderandis; Inspecit scilicet diversis moribus regionum, nec non qualitate personarum attestantium, alia qualitate personarum litigantium, ac etiam qualitate, vel quantitate, sive importantia eius, quod in lite sit cum aliis circumstantiis quas subiecta materia secum ferat, illa praesertim verisimilitudinis, vel inverisimilitudinis, qua in coniecturalibus, & adminiculativis principatum habere videtur,

Nimium quoque ponderanda videntur dictae tres diversa species testium, ad effectum inspiciendi, an majora, vel respectiva minoria adminicula desideranda veniant; Magna siquidem differentia est, inter illas merè privatas, & informes attestaciones, per schedulas, quas fides dicimus; Et examen cum juramento coram publico Notario, vel apud acta alicujus iudicii, quamvis nemine citato, ac in forma potius voluntaria, quam contentiose jurisdictionis, quoniam, ut frequens, ac notoria praxis docet, libenter ad preces vel complacentiam aliquorum benevolorum, & in fide requirentium, subscribuntur fides super iis, super quibus, juratum examen publicum, quamvis informe non fieret, ut pluries expertus sum; Ideoque erroneum est, cum solis generalitatibus procedendo, huiusmodi species pariformiter ponderare, quoniam prima, utpote debilius, majori indigebit fomento adminiculorum, quam altera *decis. 283. num. 9. par. 10. rec. & sepius.*

Idemque proportionabiliter quoad tertiam speciem, qua longe majoris ponderis censenda venit, cum inspecta veritate naturali, & de facto, ita sint potius testes formiter examinati calore iudicii contentiosi, sed eorum fides cesset, vel minuat, ex aliqua juris positivi, communis, vel municipalis, scrupulosa subtilitate, vel ex forensium practicum superstitutionibus, ratione ordinis iudiciarii non omnino bene servati, ideoque longe minoria adminicula sufficere debent, cum debita proportione inter istas tres species, advertitur *tit. de de cim. disc. 1. & alibi pluries Mantie. dec. 95. Buratt. dec. 364. & 376. & sepius.*

Et de consequenti, frequenter repetendus, atque semper inculcandus remanet pragmaticorum error, procedendi cum solis generalitatibus, sive cum sola litera doctrinarum, vel decisionum, non 9 distinguendo singulorum casuum species vel circumstantias.

Quo vero ad aliam speciem testium, qui formiter, citata parte, aliisque servatis servandis, in iudicio contentioso examinati sint; Regula generalis est in oppositum, ut scilicet quilibet testis, semple- 10 nam faciat probationem; Unde propterea duo contestes, quando aliqua exceptio eorum fidem non minuat, perfectam, & concludentem constituunt probationem, non solum ex dispositione juris positivi, sed etiam ex oraculo divino, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum, *tit. de testam. disc. 6. & seqq. & disc. 25. & sequ.*

Quemadmodum autem in dicta alia specie, in qua regula est negativa, illa patitur limitationem ob qualitatem personarum vel ob adminicula ut supra; 11 Ita è converso in hac specie, in qua regula est affirmativa, limitationem patitur ob exceptiones, qua testium fidem tollant, vel minuunt; Ideoque pariter materia capax non est regula certa, & generalis cuiusque casui applicabilis, sed prudenti Iudicis arbitrio remissa est pro singulorum casuum qualitate & circumstantiis; Ac propterea inculcari meretur idem error procedendi cum doctrinis, & auctoritatibus, in sola litera, non reflectendo ad qualitatem facti, cuius revera potius, quam juris est quaestio; Unde Iudicum in ista materia magister jurisconsultus *Callistratus* refert sententiam Divi Adriani Iudicem alloquentis, quod scilicet *ipse scire potest, quanta fides testibus adhibenda sit. l. 3. ff. de testibus.* 12

Tres

13 Tres autem sunt species exceptionum, quae testibus objici solent pro eorum fide adimenda, vel minuenda; Una scilicet, quae respicit formam vel solemnitatem examinis; Altera quae respicit exceptionem personae; Et altera quae respicit exceptionem in dicto; Quare de his distinctè agendo, cum super eis pene universa testium materia circumferatur.

Quatenus pertinet ad primam exceptionem; 14 Quoties agitur de probatione facienda per testes in causis verè contentiosis cum legitimo contradicatore; Plura requiruntur, ut testes dici valeant formiter examinari, ideoque plena fide digni; Primò scilicet, ut examen fiat ex decreto Judicis competentis, coram quo causa pendet, & super articulis per ipsum Judicem citata parte admissis, & in termino per eundem ad id statuto, aliàs extra terminum examinati non probantur, nisi quoties in termino juramentum præstitissent. *Rovit. pragm. 3. de ordin. judic. Gregor. dec. 429. Buratt. decis. 726. Mantio. decis. 352. 277. par. 6. rec.*

Et secundo requiritur juramentum coram ipso 15 Judice causa, vel coram Judice remissoriali in Partibus tanquam delegato; sive ubi examen fiat in loco iudicii penes Notarium, qui ad id habeat commissionem specialem vel etiam generalem pro Tribunalium stylis, *Add. ad Vestr. lib. 6. cap. 2. Rovit. pragm. 2. & 9. de ord. judic. Buratt. & add. dec. 146. & 878. decis. 393. par. 1. rec.*

Item quod juramentum præstitum sit statuta die 16 contenta in citatione Partis; Vel ubi citatio sit indefinita ad videndum jurare testes; Quamvis Aliqui credant, ut ea invalida sit; Verius tamen est quod sufficit, ut illud præstetur infra terminum probatorium à Judice concessum, pro quo citatio intelligenda, cum aliàs vaga, & generalis insufficiens reputetur, quādo nullus datus sit terminus, *Greg. dec. 71. 424. & 466. Buratt. dec. 690. dec. 277. p. 6. rec.*

17 Tercio requiritur citatio Partis ut supra, ad videndum jurare testes, cum ista citatio sit principaliter necessaria; Illaque debet esse specialis, & individua, & non sufficit generalis, *Gregor. & add. decis. 268. Cavalier. decis. 275. Rovit. pragm. 9. de ordin. jud. Vestr. & add. lib. 6. cap. 2.* Nisi stylus excuset, ut in aliquibus Hispaniarum partibus viget, *Buratt. decis. 304. & 328.*

18 Quarto quod altera Parte exhibente in actis interrogatoria, super eis testes examinari debeant, priusquam super articulis, nisi altera pars eos dare negligat; Adeo ut si hoc examen negligatur, vel quod ipse testis negligat, vel recuset respondere interrogatoriis, examen invalidum sit; Nisi agatur de impertinentibus, vel de continentibus crimen seu turpitudinem ipsius testis, *Ottob. decis. 146. Gregor. & add. dec. 351. Buratt. & add. decis. 100. Milin. decis. 434. Duno. et. dec. 889.*

Et quinto, ubi vigeat stylus (qualis nimium 19 commendabiliter viget in Curia) quod scilicet examen testium fieri debeat cum interventu Interpretis per alteram Partem conducendi, ut idem examen sequatur previa intimatione, pro die, hora, & loco certis ut ita sciat altera Pars, quando Interpretem mittere debeat, *Post. de manut. obser. 91. Rovit. pragm. 9. de ord. jud. dec. 180. par. 10. rec.*

20 Hisque requisitis, (pro diversis Tribunalium stylis) additur alterum citationis ipsorum testium, quod causativè potius, quam præcisè necessarium reputari solet, ad tollendam scilicet exceptionem, quae testibus ultroneis objici valet; Atque sine huiusmodi requisitorum concursu, examen imperfectum, minusque legitimum reputatur.

Adeoque Partis citatio ut supra, necessaria reputatur, quod licet in Curia procedatur in causa in contumaciam, seu per contradicatas; Adhuc tamen iudex remissorialis tenetur citare partem, quæ ibi existat, cum diversa sit ratio procedendi, *supra disc. 9.*

Verum respectu huius requisiti citationis Partis, plures traduntur limitationes, in quibus ea non obstat, examen sublinetur; Ut præsertim est in 21 eo examine, quod fiat de casu naufragii, quando illud, juxta formam Consûlatus maris, fiat in loco magis proximo, post passum infortunium; Secus autem ubi fiat in loco, in quo adsint Partes interessatae, quæ commodè citari valeant, *Mantio. decis. 297. cum aliis in tit. de credito disc. 111. Cappo. Latr. decis. 60. Coccin. decis. 66.* Aliæque plures traduntur limitationes per DD. circa quas tamen locorum stylis est deferendum, *add. ad Vestr. lib. 6. cap. 2. add. ad Buratt. decis. 118. Rovit. pragm. 9. de ord. judic.*

Hinc proinde ista materia regulanda est pro facti qualitate & circumstantiis, principaliter reflectendo ad toties inculcatam propositionem, quod 22 lex non est imposita verbis sed rebus, ideoque punctus non est in formalitate verborum, sed in ratione legis, sive in effectu, vel sine per eam habito.

Unde propterea, quemadmodum supra in citationis rubrica generaliter advertitur, eius defectus, sive sit in substantia, sive in modo, sanatur per 24 comparisonem partis, cum ita impleatur finis, vel effectus ad quem per legem est requisita; Ita in præsentibus si Pars det eius interrogatoria, vel pro locorum stylo conducatur Interpretem, seu alia faciat quæ servari solent, pro eius idemnitatis, tali casu, curandum non est de formalitate citationis, vel alterius solemnitatis, dum illæ non desiderantur pro forma præcisa, sed pro dicto fine vel effectu, quem sufficit impleri, *Cavalier. dec. 322. Buratt. & add. decis. 118. & 506. dec. 187. num. 31. & sequen. par. 11. rec.*

Ac generaliter receptum est, ut examinis nullitates suppleantur per consensum partis, sive quod 25 curari non debeant illæ formalitates, quæ de facto in loco, vel in opinione partis non sint in usu; Unde propterea habemus, quod si examen factum ab altera parte, laboret eisdem defectibus, ei non conceditur de istis objicere, *Bich. dec. 347. num. 7. decis. 393. num. 7. par. 1. rec.*

Atque hinc manat, quod licet probabilius videatur, ut in examine adhiberi debeat, stylus Judicis delegantis, *Rovit. pragm. 3. de dilat. & habetur infra in disc. 35. & 40. agendo de legibus & stylis per iudicem servandis.* Adhuc tamen excusetur ille, qui servavit 26 stylum Judicis remissorialis, si altera pars quoque cum eo processit; Verum semper cautius est servare stylum delegantis; Unde propterea in casu huiusmodi examinum in partibus, monere consuevi causarum Patronos, ut transmittant claram beneque distinctam instructionem; Verum adhuc eam pluries expertus sum inutilem, eo quia illi 27 Notarii, vel Causidici, nolunt, vel nesciunt egredi propriæ regionis formalitates, cum in hac facultate ferè totus Mundus redactus videatur ad scientiam pſittacorum, sive per traditiones, aliud non curando.

Item ultra dicta requisita, plura alia desiderari solent; Nempe ut examen fiat in loco designato 28 in remissoria, nisi consensus Partium aliter suadeat,

sive alia iusta causa, ob quam cesset finis, vel ratio requisitæ; Aut quod illud impleri non valeat ob impedimentum testium, puta quia moniales, vel senes, aut infirmi vel mulieres, *Mantic. dec. 6. dec. 352. Cavaler. dec. 254. Rovit. prag. 7. de jud.*

Ac etiam ut examen fiat coram Iudice competentis, id est capaci illius jurisdictionis, unde pro-
29 terea quandoque invalidum haberi consuevit examen factum in causa beneficiæ, vel alia merè spiri-
tuali coram iudice laico, ubi tamen sua auctoritate fiat, secus autem si ex delegatione Iudicis compe-
tentis, *dec. 260. num. 5. par. 1. rec. Bich. dec. 431. num. fin.*

Nec non ut fiat coram ipso Iudice remissoriali, non autem coram solo Notario, vel alio subdelega-
30 to, nisi tenor remissorie vel stylus loci aliter sua-
deat, quoniam magna differentia est inter ipsum Ju-
dicem causæ delegantem, & hunc particularem de-
legatum, in cuius deputatione praxis est eam facere
de consensu alterius partis, saltem sub intellectu per
contumaciam, sive ex officio prævia lista confidenti-
um & diffidentium, ideoque regulariter non debet
illa persona immutari, neque actus examinis fieri
coram persona diversâ signota, seu verisimiliter noli-
ta; Nisi respectu Notarii excuset stylus, *supra
num. 15.*

Præterea, quando ista exceptio solum obstat,
procedendum videtur cum illa epiechia vel pro-
portione, quæ supra in prima testium specie con-
siderata est; Non procedendi scilicet pariformiter
31 in omni casu, cum eodem rigore, & cum eisdem ge-
neralitatibus, atque ita ob aliquam nullitatem pro-
venientem à quodam stricto rigore legaleico, seu
præcisè non servata aliqua formalitate, ponere illud
examen ad partes perinde ac si non adesset, nullam-
que huiusmodi probationum rationem habere,
ut in casu de quo sub tit. de decim. disc. 1. & alibi pluries.
Sive illum, qui eas fecit cogere cum superfluo
sumptu ac temporis iactura, eandem probationem
ex integro repetere, atque ita calumnias & subter-
fugia confovere, procedendo cum inepta aliquo-
rum pragmaticorum propositione, quod qui cadit
à syllaba, cadit à toto; Siquidem reflectendum est
ad qualitatem nullitatis, an scilicet dici valeat mali-
tiosa, vel culposa, seu quod alias percutit substan-
tiam juris, vel præiudicium alterius Partis cuius prop-
terea interfit, repetitionem testium nulliter exami-
natorum ex integro fieri, eo quia adhibendo illas
solemnitates, vel formulas, à lege, vel à stylo præ-
scriptas, quæ neglectæ fuerunt, probabiliter sperari
valeat, quod testes non sint ratificaturi id, quod in
examine nullo & invalido deposuisse constat, cum
tunc repetitio percutiat substantiam rei; Ut præ-
sertim contingit in ea repetitione, quæ in criminali-
bus faciendâ est de testibus examinatis in processu
informativo, cum similibus; Sed si substantialia de
facto servata sunt, adeo ut constet quod testes seriò
& cum sufficienti causæ assignatione ita deposue-
runt, adeo ut verisimilitudo urgeat, ut idem omninò
affirmaturi sint in repetitione, quæ propterea me-
ram formalitatem redoleat, tunc iste manis circui-
tus in magnis præsertim Tribunalibus, non de fa-
cili admitti debet, ita confovendo calumniosas dila-
tiones, & subterfugia, ob quasdam formalitates, &
per quandam speciem iudaismi.

Idem quoque dicendum venit, in illa tacita re-
32 petitione, quam lex subintelligit per testis morem,
quæ juramentum, aliasque solemnitates supplere
videtur, ob legaleicam propositionem, quod nemo

moriens præsumitur mendax, ac immemor æternæ
salutis, *Cavaler. dec. 322. Buratt. dec. 334. surd. dec.
103.* Quoniam (ut alibi quoque advertitur,) id
procedit, quando illa dispositio, seriò, ac sincere citra
illam extorsionem, quæ fieri potest à moribun-
dis, qui à morbo ac mortis cogitatione turbati, non
reflectendo quid dicant, omnibus interrogatis an-
nuere solent, juxta distinctionem, quam habemus in
materia testamenti facti ad interrogationem, *tit. de
testam. disc. 39.* Adeo ut ex facti circumstantiis con-
stet, quod revera ille morti proximus, sciens, & vo-
lens pro recognitione veritatis, ac exoneratione
conscientiæ ita deposuit vel testatus est, cum tunc
dicta propositio regulariter procedat, atque morti-
præfata operatio tribuenda sit.

Secus autem si agatur de informi depositione fa-
cta in statu valetudinis, ita & taliter quod nullitas
examinis influat in substantiam ut supra, cum tunc
non videatur subesse ratio, ob quam, subsequente
morti, hæc operatio tribui debeat, dum attestatio
facta est de tempore valetudinis absque aliqua mor-
tis cogitatione; Solumque resultare videtur quod-
dam justum impedimentum, ob quod ille, qui pro-
bationem facere debet, aliqua excusatione, vel
commiseratione dignus censendus venit, ne ita ob
casum, eius probatio omninò pereat; Et ut sic ista
circumstantia habenda sit in aliqua consideratione,
ut illi informi testimonio, aliqua major fides adhi-
beatur, quam adhibenda esset, si repetitionis poten-
tia duraret.

Ponderando etiam ac potissimè, an ille, qui eam
informem probationem fecit, vel attestaciones pro-
curavit, in bona, vel respectivè in mala fide versatus
sit, ita agendo, quoniam alias malitiose extorqueri
possent, cum malis artibus, alteratæ attestaciones à
senibus, qui repuerascere solent, vel à graviter infir-
mis, sub hac fiducia, quod repetitio malitiam dete-
gere non potest, ob imminuentem, vel cito speratam
mortem; Ideoque semper firmum remanet id, quod
supra insinuatum est, quod scilicet manifestus er-
ror est procedere cum solis generalitatibus, cum re-
33 vera ista materia probationum, sit potius facti &
arbitrii quam juris, ideoque incapax regularum ge-
neralium, quibuscumque casibus applicabilium,
cum totum pendeat ex particularibus circumstansi-
is ex prudenti benè tamen ac legaliter regulato ar-
bitrio pensandis, quod integritatem quoque, re-
ctamque intentionem, ac adæquatam iudicium ha-
beat comites.

Alterâ exceptio, quæ adversus testes objici so-
let, est circa eorum personas, seu personales qualita-
tes, ob quas fide indigni censendi sint, atque per le-
gem reputandi minus idonei; Verùm pariter super
hoc regula dari non potest, quoniam licet in iure
plures exprinantur casus vel qualitates, ex quibus
fides tollitur, vel minuitur, juxta ea, quæ nimium
elaboratè, sed commendabiliter ac more Doctoris
potius, quàm simplicis collectoris observantur per
Farinac. in eius amplo volumine, quod in hac te-
stium materia edidit; Adhuc tamen totum intelli-
gendum est, diversimodè pro facti qualitate & cir-
cumstantiis; Et præsertim juxta naturam negotio-
rum, sive juxta majorem, vel minorem concursum
adminiculorum aut juxta majorem, vel minorem
numerum testium, sive juxta diversam speciem illius
qualitatis quæ exceptionem producit.

Unde propterea generalem regulam habemus,
non tamen semper uniformiter practicandam, sed
discretè, pro facti qualitate, quod in iis, quæ de sui
34 natu-

matura sunt difficilis probationis, quia nempe occulto, vel intra domesticos parietes fieri solent, ideoque non nisi conjunctis vel famulis innotescunt, istae qualitates non adeo minuunt de fide, sed admittuntur testes, quavis aliis inhabiles, *Farin. quest. 62.*
 36 *Burratt. dec. 79. & 143. 294. 665. & 775. dec. 191. par. 6. rec.* Idque praesertim in probatione matrimonii ponderari solet, *Mantic. dec. 372. Burratt. dec. 530. decis. 713. & 893. tit. de matrim. disc. 2.*

Sive ubi pro facti qualitate veritas aliter haberi non possit; Ut (ex-gr.) pro frequentiori contingencia, habemus in probatione naufragii, vel alterius similis casus, quoniam eam facere oportet, cum illis, qui sint in navi, quamvis sint viles, vel famuli, cum similibus, *tit. de credito, disc. 111. & apud supra allegatos.*

Prout etiam habemus, quod numerus testium supplet eorum defectum; Multo vero magis si cum numero concurrat mixtura eorum, qui integri sint, ac exceptiones non patiantur, *dec. 53. par. 13. rec. Ostob. dec. 200. Burratt. dec. 143. 349. & 725.* Vel quod huiusmodi testium exceptione elidibilium depositio bene adminiculata sit, quoniam adminicula sanant, vel suppleant defectus, *proxime supra & praesertim dicta dec. 53. par. 13. rec.*

Atque circa qualitates inducentes exceptionem, neque pariformiter, seu generaliter est procedendum, sed juxta casuum particularis circumstantias, quoniam (ex-gr.) regula est quod famulus repellitur a testificando pro domino, atque reputatur testis minus idoneus; Et tamen id non est generaliter, seu pariformiter intelligendum, sed pro diversa qualitate, quoniam aliud est agere de vilibus, ac infimis famulis, qui a nutu domini pendunt, atque non audent illi se opponere, sed dicunt totum id, quod ab eis injungitur; Aliud vero est agere de familiaribus Magnatum, vel nobilium, qui sint etiam viri nobiles, vel civiles, aut aliis probi & qualificati, *Gregor. dec. 351. Burratt. dec. 143. & 775. Dunozett. dec. 993.* ideoque periculosa & erronea est generalitas.

Ut etiam habetur in Advocatis, & Procuratoribus aut Sollicitatoribus, quoniam isti pro regula generali, minus idonei testes reputantur; Adhuc tamen erroneum est cum hac generalitate procedere, in omnibus locis, & in omnibus causis, & cum omnibus personis, quae istas professiones exercent, quoniam cum circumspicione pariter procedendum est, dum praesertim in Curia tales adsunt (& quidem inter classicos & probatos ferè omnes) summae integritatis Advocati, & Procuratores, ut non solum, testificando in judicio cum juramento, veritatem non alterarent, in gratiam proprii clientis, & in praedictum alterius, sed neque agendo idem manus in defensione causae, id agant vel cogitent; Et è converso etiam in eadem Curia, & alibi adsunt reprobi, sed de facili cogniti sunt, ideoque uniformis regula statuenda non est, *Franch. & add. dec. 222. Gregor. & add. dec. 178. dec. 62. par. 3. rec. dec. 334. par. 4. rec. tom. 2.*

Eademque proportio generaliter procedit in quibuscumque aliis, qui regulariter minus idonei testes reputantur; Puta, Conjuncti, Affines Carnales, vel spirituales, Creditores pro debitore, Inimici vel è converso nimium amici, & domestici, & generaliter criminosi, nempe, Homicidae, Fures, Adulteri, Lenones, Perjuri, Ebrii, Hystriones, & similes diligenter collecti per *Farinac. ut supra*, quoniam non omnium eadem est conditio.

Magnam item differentiam in hoc constituit

qualitas causae, quoniam aliud est agere de causa criminali, & Aliud de civili, cum in prima facilius huiusmodi exceptiones attendantur, atque ista species exceptionis personalis, per Criminalistas magis criticari solet; Ac etiam, in uno, vel in altero causarum genere, alia adhibenda est distinctio, majoris, vel minoris gravitatis, & praesertim in civilibus; Aliud est agere de materia gravi & de sui natura suspecta, ut est illa ultimarum voluntatum, ex ea ratione quod per principalem jam defunctum veritas aperiri non potest; Et aliud in actibus inter vivos; Atque in uno ac altero actuum genere, materiam regulat major, vel minor importantia, dum non de facili intrat praesumptio seductionis, ac falsitatis, & machinationis ubi de modica utilitate agatur, inspiciendo etiam qualitates principalem intercessorum, *tit. de testam. disc. 6. & 39.*

Prout etiam, inspiciendum est, ad majus, vel minus praedictum, seu inspicienda est natura seu qualitas iudicii, quoniam (ex-gr.) Aliud est agere de probatione in petitorio pro determinatione negotii principalis; Et aliud in iudicio summano, ad effectum alicuius incidentis, sive alicuius provisionis, quae in progressu remaneat reparabilis; Ut praesertim habemus in iudiciis possessoriis, atque inter istas facilius in magis summano, & privilegiato retinenda, quod manutentionis dicitur, quoniam in isto regulariter non admittuntur exceptiones personales testium, & tamen adhuc limitari solet, quando exceptiones sint clare, atque incontinenti probatae, adeo ut altiore non requirant indaginem cum similibus, *Gregor. & add. dec. 449. Burratt. & add. dec. 360. Cavaler. decis. 629. decis. 38. par. 9. rec. & in Amalbitana, de qua tit. de jurisdic. disc. 21.*

Ita pariter in testibus de universitate, vel de collegio, quoniam juxta regulas generales, proceditur cum distinctione juris controversi, an tangat interesse singulorum, vel potius omnium in universum, ut primo casu repellantur a testimonio, non autem in altero, *Affl. & add. dec. 400. Capic. Latr. consult. 87. Cavaler. dec. 142. Gregor. dec. 340. Burratt. & add. dec. 314. & 553. dec. 353. Post. 2. vol. consil. Farin.* Et tamen, etiam in uno, vel in altero casu respectivè, limitatio regulae intrat, quia nempe in primo, interesse sit adeo exiguum, atque testes adeo qualificati, ut omnino improbabile sit, quod falsum dicere velint, ut in praxi haberi solet in piis dispositionibus probandis per testes eiusdem Ecclesiae, vel Religionis, in quibus aliquod interesse singulare, ob excrecentiam distributionum, vel aliorum emolumentorum considerari potest; Et è converso frequens praxis docet in controversiis jurisdictionalibus vel praeminentalibus, & honorificis, magis vero in illis confinium, inter Civitates, & loca, quod licet nullum adsit interesse particulare singulorum, adhuc tamen illi de universitate, vel de corpore, in huiusmodi causis, majorem affectionem, majoremque rabiem habeant, quam in causis propriis & particularibus, ideoque non omnium casuum eadem debet esse regula.

Et sic in similibus; Puta in testibus impuberibus, vel deponentibus de actibus percipientibus tempus pupillaris aetatis, quoniam licet generalis regula seu distinctio sit, an deponat adhuc pupillus, & tunc non sit idoneus; Aut jam pubes de iis, quae concernunt tempus pupillaris aetatis, pubertati tamen proximum; Et tunc non repellatur a testimonio, secus autem circa tempus infamiae, *dec. 75. par. 10. Farinac. quest. 58. num. 53. & seqq.* Adhuc tamen pariter

Pariter erroneum est cum hac generalitate in omni casu procedere, quoniam reflectendum est ad qualitatem ipsorum deponentium, dum inter pueros adfunt magis & minus sagaces vel iudiciosi; Ac etiam ad qualitatem actuum, dum in plerisque, veritas magis candidè ab istis desumi solet iuxta dictum Psalmistæ *ex ore infantium, & lactentium, &c.* Et est recepta praxis Criminalistarum, quod scilicet ab examine puerorum in causis occultis, ac difficilis probationis veritas inquiri magnumque lumen haberi solet.

48 In vasallis etiam, vel subditis, questiones haberi solent, an sint idonei testes, pro domino vel pro superiore, & quandoque an contra eum, ob rabiem vel indignationem, quam vasalli contra dominum vel subditi contra superiorem habere solent, & licet regulariter ista non reputetur exceptio omnino inhabilitativa, sed solū diminutiva fidei, adhuc tamen, certa & generalis regula nō intrat, cū ad qualitatem personarū ac respectivè causarū, nec nō ad mixturā aliorū non subditorū, aliaque similes circumstantias reflecti soleat, ac debeat, ex quibus respectivè, major, vel minor fides pendet, *ut. de iure patronat. discurs. 3. & 58. & dicta dec. 53. par. 13. rec.*

49 Ut etiam habemus in generalitate adimente fidem proxenetis & mediatoribus qui in iure testes minus idonei reputantur; Et tamen in plerisque casibus, qualitas mediatoris potius auget fidem, ut quandoque etiam unicus sufficiat non interessatus, utpote melius deponens de facto proprio; Quinimò etiam in iis, qui ministerium proxenetæ ex professione exercent, in quibus propriè regula procedit, adhuc pro locorum usibus vel negotiorum qualitate, major solet esse istorum fides, & præsertim circa eorum libros vel scripturas, ut Notariorum speciem in genere negotiatorio vel mercantili habeant, *tit. de not. disc. 27.*

50 Cum similibus aliis exceptionibus, quæ à personali qualitate sive ab aliquo accidenti pendeant; Ideoque non ex eo quod in iure, vel apud DD. scriptum reperitur, quod certum genus personarum minus idoneum reputatur ad testimonium ferendum, exinde resultat quod clausis oculis in omni casu sine exceptione personarum, vel casuum, pariformiter procedendum sit, & è converso; Sed (ut aliàs insinuatum est) regulæ generales attendendæ sunt tanquam lumen, ut videatur quæ sit via, per quam tamen viator, apertis non autem clausis oculis incedere debet, quoniam etiam in eadem via, non omnes partes vel passus sunt uniformes.

51 Eadem quoque regula tenenda videtur in tertia exceptione, super qua magis quam super secunda inter Civilistas disputari solet, ubi scilicet agatur de dicto; Putà circa exceptionem mendacii, vel contrarietatis, quoniam regula generalis est, quod mendacium, seu varietas, aut contrarietas attenditur in substantialibus, non autem in accidentalibus, *Capic. Latr. consult. 4. Mantic. decif. 6. Gregor. dec. 194. add. ad Buratt. decif. 42. dec. 53. par. 13. rec.* Et tamen ubi aliæ suspiciones vigeant, etiam in accidentalibus, mendacia, seu variationes, aut contrarietates nimium attendi debent pro negotiorum ac personarum qualitate, ideoque cum generalitatibus procedendum non est; sed reflecti debet ad singulorum casuum circumstantias.

52 Ita pariter, circa regulam superius insinuatam, deferendi potius depositionibus super interrogatoriis, quam super articulis; Sive non deferendillis, qui alicui interrogatorio respondere noluerunt,

quoniam non implicat, ut respondendo dubiè super interrogatorio ex defectu memoriæ, postea melius recordatus, clarius deponat super articulo; Vel si testis integer, & tamen alicui obiectivo, vel impertinenti interrogatorio respondere renuat, sive quod credat in præcedentibus respondisse, *est dictum sup.*

Sive circa testium dissonantiam, non implicat, quod unus alium suppleat, vel utpotè melius informatus, sive magis capax, & diligens, qui in eodem actu, ad plura adverterit, ad quæ aliqui testes non adverterint, unde propterea non bene contestentur, ut in materia testamentaria frequenter habemus, *dicto disc. 27. de dote dicta dec. 53. par. 13. rec.*

53 Super dubietate, vel incertitudine disputari solet, an & quando illa depositioni obstet, atque pariter ex qualitate casuum sive ex fine, vel effectu decisio pendet; Ubi enim (ex. gr.) agitur de tempore, si vis in eo est, adeo ut in eius puncto causa præcisè consistat; Ut contingit in beneficialibus, ubi agatur de tempore præcisè vacationis, ex quo pendeat inspectio, an intret, nec nō reservatio; Sive ubi contentio sit de anterioritate inter creditores, vel inter possessores cum similibus; Et tunc illud præcisè est concludendum; Secus autem ubi vis præcisæ non sit in tempore quoniam tunc dubitativa depositio, seu aliqua variatio inter testes, pariformiter tamen dubitativè loquentes, potius auget fidem; Ubi præsertim agatur de facto antiquo, quod non de facili memoria retineri solet, dum tunc depositio præcisæ, potius suspicionem affectationis auget, ac fidem minuit, ratione inverisimilitudinis: ut tempus præcisum facti alieni, ita diligenter memoria retentum sit, *Capic. Latr. consult. 4. Buratt. dec. 143. & 599 & 456. Mantic. dec. 6. 193. & 372. Gregor. dec. 390. Dunozet. dec. 829. dec. 67. part. 10. rec. & tit. de benef. pluries.* Quod à pari generaliter in aliis minutis, vel circumstantiis procedit; Quoties alia qua non urgeat, ob quam illud tempus præcisum memoria retineatur; Putà quia fuerit in ea die ingressus alicuius magni Principis, vel aliqua magna solemnitas, vel factum notabile, mortis vel creationis aut coronationis Pontificis, cum similibus, *ibidem proximè.*

54 Ipsorum testium contestualitas, regulariter in iure desideratur, ad concludendam probationem; Et tamen quandoque, illa solet esse præjudicialis, ac diminuerè de fide, cum suspecti potius reputentur testes deponentes per eundem præmeditatum sermonem ubi supra nu. 44. Et sic etiam respectu aliarum circumstantiarum, & præsertim correctionis, quam de se ipso, seu de eius dicto testis faciat, *Capic. Latr. consult. 4. Mantic. decif. 372. Gregor. decif. 194. & 230. Rovit. prag. 4. de falsi.* Sive ubi affirmet id quod prius negaverat, vel neget quod prius affirmaverat, cum regulariter id minuat de fide, sed quandoque augeat, eiusque majorem integritatem probet.

57 Super modo item deponendi, questiones cadunt, & præsertim super depositione relativa alicui attestationi, vel depositioni prius factæ, vel alicui scripturæ, vel articulis, quoniam non de facili illa attendenda venit, nisi præcedat diligens lectura, *decif. 720. par. 2. rec. Buratt. decif. 726. & 572. Rovit. prag. 9. de ord. judic.* Et tamen neque ad istam deveniendum est (quando altera pars ita inflet) nisi præcedat responsio super interrogatoriis, cū magis suspecti sint isti testes, qui prius attestaciones, vel informes depositiones fecerunt; Ideoque majores diligentia cum eis adhibentur, atque propterea

rea proficius detegitur stylus adhibendi Interpretes.

58 Super testium item singularitate frequenter disputari solet, illaque est duplici specie; Alia enim est singularitas, quæ consideratur ratione unitatis testis, qui sit singularis, id est unicus; Et alia est singularitas, quæ dignoscitur inter plures, qui non sint contestes, unde propterea in eorum dicto dicuntur singulares.

59 In prima etenim specie; Regula est, quod testis singularem probationem non concludit, ex vulgari assumpto, quod dictum unius, dictum nullius; Et tamen in aliquibus casibus, etiam unicus testis sufficiens reputari solet ad probationem plenam, sive ad plusquam semiplenam, adeo ut aliquod momentum adminiculorum idem suppleat; Puta quia agatur de teste multum qualificato; Sive de mediatore deponente de facto proprio, nullum penitus habeat in negotio interesse burfale, vel existimationis, aut affectionis, ut superius advertitur; Vel quod agatur de possessorio, aut de alio puncto non magni præjudicii; Aut quod non agatur de probatione ex integro, sed de declaratione vel interpretatione aliquis rei ambigæ in ultimis præsertim voluntatibus, ac etiam quandoque in actibus inter vivos, de teste singulari probante in dictis casibus Cavaler. decis. 161. Buratt. dec. 219. 168. & 616. & 640. Gregor. dec. 414. pluries tit. de testam. & tit. de fideicom. & alibi.

60 Et quoad aliam speciem singularitatis, quæ dignoscatur inter plures, inter quos tollatur cõtextualitas; Pro regula habetur distinctio vulgaris, inter singularitatem obstantivam, & adminiculativam, ut scilicet obstativa sit illa, quæ complicit falsitatem, seu inconciliabilem contradictionem inter unum testem & alterum, quia nempe super eodem actu individuo seu contemporaneo, diversimodè deponant, juxta testimonium duorum Senum accusatorum Sulannæ, relatum in sacra pagina, quo Criminaliste præsertim, passim utuntur; Ista etenim singularitas dicitur penitus destructiva utriusque dicti, adeo ut neutri deferri debeat, dum (ut præmissum est) complicit falsitatem.

61 Proccedit autem id, ubi hæc obstativa singularitas habeat actum positivum in utroque teste, quia nempe unus dicat factum sequutum esse sub ficu & alter sub platano, juxta præratum exemplum Sulannæ; Secus autem ubi consistat in actu affirmativo ex parte unius, & negativo ex parte alterius; Puta, quia testis deponens de aliqua re, alleget in contestem alterum, qui id neget, sive ignorare dicat; Si enim negatio est omnimoda, quia scilicet ille, qui vocatus est in contestem, dicat nullatenus ibi fuisse, neque id scire potuisse, sive quod aliunde convincatur istud mendacium, & tunc pariter intrat singularitas obstativa, quæ mendacium positivum, ac falsitatem complicat, unde propterea ille testis redditur falsus, omni fide indignus, etiam in aliis, Merlin. dec. 335. in fin. Grammat. conf. crim. 26. & 38. Cypic. Latr. consult. 4. Atque intrat propositio quod falsus in uno; reputandus est falsus in omnibus; Quoties mendacium percutiat substantia; Si verò levia & accidentalia, tunc quamvis id non omnino inficiat dictum in aliis, attamen illud debilitat, ipseque testis redditur suspectus; Potissime verò ubi alia suspicionis argumenta concurrant, cum tunc mendacia, seu variationes etiam in accidentalibus in consideratione haberi debeant, ut superius quoque advertitur.

Sed si alter vocatus in contestem, non neget illam præsentiam materiale, seu potentiam scientiæ, quæ præsupposita est per testem deponentem de actu, eumque vocantem in contestem, sed solum neget scientiam actus, Et tunc non dicitur singularitas verè obstativa, & criminosa; eo quia potuit alter testis, justè opinari quod ipse tanquam præsens in loco fecit id, de quo agitur, ille autem potuerit non advertere ad id, ad quod alter advertit; pluries sub tit. de testam. Sive quod memoria non retineat; Aut quod dicere nolit, ut frequens praxis docet, ideoque alter testis remanet singularis, id est unicus juxta dictam primam speciem singularitatis, non indignus illa fide, quæ unico testi in jure pro casuum diversa qualitate ut supra datur; Adhuc tamen istud mendacium, quamvis ita excusabile à falsitate, minuit aqualiter de fide, magis & minus, juxta facti circumstantias, quæ prudenti judicis arbitrio pensandæ sunt, adeo ut melius fuisset, quod nullum vocasset in contestem.

63 Adminiculativa verò singularitas est illa, quæ nullum redolet mendacium nullamque contrarietatem, quia nempe, plures singulariter deponant de eadem re reiterabili, seu reiterata, & sic quod; Unus deponat de uno actu in uno loco vel tempore; Alter autem de altero in diverso loco vel tempore compatibiliter, adeo ut uterque absque repugnantia dicere possit verum, quia scilicet, ut habetur de confessione extrajudiciali, supra disc. 23. Royas decis. 353. & passim. Deponant super eadem confessione, quæ facta sit cum diversis personis, in diversis locis, ac temporibus, sive de pluribus actibus possessoris, cum similibus, quoniam ita quilibet testis erit singularis in suo dicto, adeo ut cesset illa cõtextualitas, quæ desideratur in duobus concorditer de eadem re, vel de eodem actu deponentibus, unde huiusmodi testium conjunctio, quandoque pro causarum natura seu qualitate admittenda venit, juxta illam plurium imperfectarum probationum unionem, quæ, quandoque in jure datur ad unam perfectam constituendam ex deductis disc. seq.

64 Super assignatione rationis sui dicti, vel sufficientis causæ scientiæ, disputari solet in testibus, pro eorū fide adimenda, vel minuenda; Atq; ubi desuper accedat positiva interrogatio alterius Partis, cui respondere nolit, vel nesciat; Vel clarius si positivè eam neget, sive illam falsam aut ineptam alleget; Et tunc planum est, ut id fidem ipsi omnino adimat, unde propterea nullam faciat probationem; Ubi verò ista interrogatio non accedat, adeo ut quæstio cadat an testis, etiam non interrogatus, concludentem, vel sufficientem scientiæ causam reddere teneatur, & tunc recepta distinctio est quod; Aut agitur de eis, quæ sensibus corporeis tantum absque alia intellectu, vel judicii operatione, bene percipiuntur, ut præsertim sunt ea, quæ percipiuntur cum sensu visivo, sive cum oculis corporeis absque operatione oculorum mentis, & tunc tale dictum attendatur; Secus autem ubi agatur de iis, quæ intellectus operationem exigant, cum tunc etiam testis non interrogatus teneatur sufficientem causam scientiæ allegare, de præmissis circa allegationem causæ, vel rationis scientiæ Farinac. quest. 70. Gregor. dec. 17. Mantie. decis. 199. Buratt. & add. dec. 538.

Idque præsertim dicendum est in testibus deponentibus de dominio, Buratt. & add. dec. 191. & 768. Duno. et. decis. 841. Vel etiam ubi pretendatur probari possessio ex actu æquivoco referibili etiam ad titulum familiaritatis, vel administrationis, aut alterius detentionis; jure ac nomine alieno, quo,

quoties probari pretendatur, quod iure ac nomine proprio, illi actus possessorii facti sunt, cum ad hunc effectum requiratur operatio intellectus, sive ubi de valore, *Burratt. decis. 857. tit. de benefic. disc. 90.* cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Et præsertim id necessarium reputatur in testibus deponentibus de negativa, ob necessitatem coarctationis, concludentem assignando rationem exclusivam affirmativam, cum non accedente ista coarctatione, quæ affirmativa possibilitatem omnino excludat, dici non valeat probata negativa, atque ad hunc effectum sine dubio necessarium est ratiocinium, seu discernit intellectus, nisi adeo bene informatum se ostendat, ut hæc expressio necessaria non sit, quia nempe adfit implicitè, *Gregor. decis. 42. & 105. 325. & 510. add. ad Burratt. decis. 41. & 43. & 704. Bich. decis. 522.*

Si verò scientia assignetur, ex solo corporeo sensu auditus; Et tunc non videtur, quod iste sensus, illam habeat prerogativam, quam habet visus, quamvis actus sub sensu cadat, quoniam; Aut agitur de auditu ab ipso met principali, ut in probatione confessionis extrajudicialis disputari solet, & tunc requiri quoque videtur aliqua operatio mentis, seu intellectus, ut distingui valeat occasio, seu seu modus, cum quo illa assertio facta sit, cum ex joco, seu alias ita fieri poterit, ut nil concludatur; Et si agitur de auditu ab aliis, adhuc eadem operatio mentis intrat, ut distinguatur, à quibus, & quomodo, dum auditus sequi potuit à Parte interellata, sive ab eius ministris vel dependentibus, qui affectatè id asserant, sive ab aliis loquentibus pariter ab auditu vago, aut à pueris, vel ab amentibus, &c. Et per consequens solus sensus corporis non sufficit, *Burratt. & add. decis. 111. & 492. & 844. add. ad Gregor. dec. 572. Mantio. dec. 39.* Ideoque materia est incapax regulæ certæ, & generalis, quæ omnibus casibus applicari valeat, cum totum pendeat à facti qualitate, & circumstantiis super applicatione dictæ distinctionis, quæ theoreticè sive in abstracto est vera & recepta, sed difficultas est in applicatione, an in una, vel in altera distinctionis parte versetur.

Idque generaliter hodie in universa forensi materia procedere videtur, quoniam, ut alibi pluries advertitur, hodie explanata, atque jam decisæ videntur ferè omnes quæstiones in puncto juris, seu in abstracto, quas nostri majores adeo acriter disputarunt, cum una opinio recepta sit pro regula, altera verò pro limitatione, juxta diversas facti circumstantias; ideoque totus punctus est in applicatione, quæ non habet regulam certam; Multò verò magis in ista materia testium, (quæ ut præmissum est) tota est facti, & arbitrii, pro diversa casuum qualitate, diversisque circumstantiis.

Super testium dicto quoque frequentes cadunt disputationes, puta si illud percipiatur solum tractatum, non autem conclusionem, sine qua eius depositio in nulla consideratione habenda est, *add. ad Gregor. decis. 168.*

Sive ubi eius locutio indefinita sit, super interpretatione, an intelligi debeat de toto, *Gregor. decis. 194. Burratt. & add. decis. 175. & 560. decis. 68. post Merlin. de pignor.* Aut ubi depositio sit extra articulos, an attendenda veniat, super quo procedi solet cum distinctione, an juramentum limitatè præstitum sit super articulis, vel potius super tota causa, *Vestr. & add. lib. 6. cap. 2. Mantio. dec. 252. Rovit. pragmat. 1. de testium testrenat. dec. 202. par. 11. rec.*

Vel in concursu primi & secundi dicti, cui potius deferri debeat; Et super quo regula generalis est, ut dictum juratum ac giudiciale prevalere debeat alteri non jurato, vel extrajudiciali, & quatenus utrumque sit uniforme, eiusdemque naturæ, ut primum prevalere debeat secundo, eo quia non debet esse in eius libito tollere jus partis, ac destruere probationem jam factam, *Burratt. & add. dec. 176. & 543. dec. 66. sp. 6. rec. & 89. p. 7.* Idque adeo verum, ut quamvis dicat se deposuisse falsum, adhuc tamen, nisi id aliunde justificetur, saltem adminiculativè, ista assertio alteri præjudicialis, ac destructiva juris tertii, non attenditur, *Laurent. decis. aven. 33. Cappc. decis. 61. ubi Masull. Rovit. pragmat. 4. de fals. dec. 420. par. 5. rec.*

Bene verum, quod huiusmodi, vel similes varietates, vel retractationes, minuunt fidem illius testis, Verum in his omnibus ac similibus, impossibile est certam regulam statueri; Ac propterea manifestus detegitur, idem supra pluries inculcatus error, procedendi cum generalitatibus, & cum doctrinis, in sola litera non distinguendo casum à casu, cum vera totum pendeat ex facto.

Prout pro regula receptum est, quod testes examinati in iudicio criminali attendi debent, atque probationem faciunt in civili, si eadem est causa, & inter easdem partes ac repetiti sunt, *Burratt. & add. dec. 118. & 419. dec. 352. par. 5. rec. Bich. decis. 243. Dumoz. et. dec. 826. & 951.* Adhuc tamen pro diversa facti qualitate, majus, vel minus faciunt adminiculù, & sic pariter regula omnino firma nõ datur.

In conflictu verò testium hinc inde inductorum, frequentius disputari solet, quibus magis deferendum sit; Atque licet desuper habeamus regulas, vel traditiones generales, non tamen in eis tutum fundamentum constitui potest, ut cuicumque casui indefinitè applicari valeant, seu debeant; Generalitates autem sunt, quod potius deferendum est affirmantibus, quam negantibus; Sive potius illis, qui juris assitentiam, vel præsumptionem habeant, quam aliis, sive potius illis, qui deponat magis verisimilia, quàm aliis, quibus inverisimilitudo obstat, *dec. 53. par. 13. rec. ubi concordantes Mantio. decis. 366. Burratt. & add. decis. 43. & 903.* Et quatenus in his partibus nõ sint inæquales, inspicere debet illa inæqualitas, quæ resultat ex solo numero sive ex majori qualitate, aut ex melioribus causis, & rationibus scientiæ, quia sunt melius informati cum similibus considerationibus; Verum ut dictum est, istæ generalitates serviunt quidem pro quodam lumine generali, ad ad effectum bene regulandi arbitrium, non autem ut cum eis clausis oculis in omni casu procedendum sit, ut quandoque procedi cum intollerabili nausea praxis docet.

Disputari quoque solet, an inter inducentem, & alteram Partem, aliqua inæqualitas dignoscatur, ut scilicet testes magis contra unum, quam contra alterum probare debeant, & regula est negativa quoties ultra inductionem, non accedat etiam usus per productionem, *Gregor. & add. decis. 215. Burratt. & add. decis. 298. & 367.* quod pariter certam non habet regulam, sed pro facti qualitate intelligendum est.

De plerisque aliis penèque infinitis quæstionibus in hac testium materia, Scribentes disputant, magis verò Criminalistæ, & præsertim circa ipsorum testium tormenta, quando intrent, necne, etiam in illis casibus, in quibus non intrarent contra Reum principalem, *Sanfelix. decis. 24. Farinac. quest. 39. ex num. 116. quest. 74. num. 20. & quest. 79. num. 63.* Sive super testium coarctatione, quam etiam

etiam in civilibus frequens praxis experitur, eo
 77 quia plures veritatis conciliantur ex respectibus, qui
 habeantur erga alteram Partem, nonnisi coacti de
 illa deponere volunt; Ac etiam, an testes possint in-
 78 strui per Partem, atque probata instructio adimat,
 vel minuatur, necne fides; Sive an liceat etiam cum
 premio allicere testes, ut eam dicant veritatem,
 quam alias dicere renuant, cum revera hæc omnia
 & similia incapacia sint regula certæ, & generalis;
 Ideoque in huiusmodi quæstionibus, litigantes
 Deum rogare debent, ut eis det Judicem rectum, ac
 iudiciosum.

jurisdictionis quoque vel competentie fori quæ-
 79 siones cadere solent super punitione testium, qui
 falsum dixerint coram Iudice aliis incompetente,
 ut ita ob eius offensas aures competens efficiatur,
 quoties omnimoda & habitualis incompetencia
 non obstat; Verum, & super hoc pariter certa regu-
 la statui non potest, quoniam licet ea sit pro indu-
 ctione competentie, Rovit. decis. 20. & pragm. 1. de
 sindicat. & pragm. 4. de fals. Attamen in aliquibus di-
 ctionibus non de facili eius praxis admitti solet, ideo-
 que locorum styli nimium deferendum videtur;
 Et reliqua studiosus perquirat apud praticos, sive
 apud eos, qui hanc materiam ex professione tracta-
 runt.

De aliis variis speciebus probationis,
 puta; Per famam, per historias, per
 inscriptions; Ac per præsumptio-
 nes, & adminicula.

Ac etiam per iudicium peritorum; Et
 de liquidatione.

S V M M A R I V M.

- 1 De probatione per famam in civilibus.
- 2 In criminalibus remissive.
- 3 De fama ad effectum prescriptionis.
- 4 De eadem ad effectum probationis domini in materia feudali, vel emphyteutica.
- 5 Ad effectum nobilitatis.
- 6 Que regula desuper cadat.
- 7 Quod pro hac specie Civilibus congruat studium Criminalistarum.
- 8 De probatione per historias, vel chronicas.
- 9 De illa per inscriptions in lapide, vel in pariete.
- 10 De probatione per texeram.
- 11 De probatione præsumptiva seu adminiculativa, & de regula in ea tenenda.
- 12 Plures imperfectæ in civilibus conjunguntur ad unam perfectam efformandam.
- 13 Declaratur, dummodo sint perfectæ in genere suo.
- 14 De prohibito cumulo præsumptionum, quod declaratur.
- 15 Probatio præsumpta non admittitur in iis, que sunt fundamentum intentionis.
- 16 Non dicitur perfectæ illa probatio que habet contrariam possibilitatem.
- 17 Declaratur, & quando probatio præsumptionis sit perfectæ probatio.
 Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.

- 18 Quare desiderandus veniat Iudex doctus & iudiciosus, & quomodo verificetur adagium super causarum fato, & syderibus.
- 19 De probatione ex iudicio peritorum.
- 20 De diversis speciebus peritorum, & qui sint periti testes, & periti arbitri.
- 21 De regula juris quod iudicio peritorum est deferendum.
- 22 Quomodo regulandi sint periti induciti tanquam testes.
- 23 De illis, qui deponunt tanquam periti assumpti à Iudice, vel à partibus, & de utraque forma deputationis.
- 24 De differentia inter istas species peritorum, & præsertim circa recusationem ex capite suspicionis, & de praxi.
- 25 Deferendum est tertio perito electo in casu discordie, neque devenire debet ad ulteriorem electionem, & quando secus.
- 26 An dicitur tertius peritus teneatur adherere uni ex duobus discordantibus.
- 27 An in relationibus peritorum necessaria sit partium citatio.
- 28 Unde proveniat, quod ista relationes peritorum magis moras causis parent.
- 29 De stylo vel praxi eligendi peritos extrajudicialiter ad solam informationem, vel instructionem animi Iudicis.
- 30 Damnatur stylus eligendi duos peritos à partibus nominandos, ut deinde eligatur tertius, sed quod Iudex debeat eum ab initio deputare.
- 31 Peritis se ingerentibus in iis, que non pertinent ad eorum peritiam, sed ad Iudicem, non est deferendum.
- 32 Quod debeat peritis præscribi forma referendi, vel exercendi eorum peritiam.
- 33 De errore peritorum in estimatione bonorum, & quomodo ista fieri debeat.
- 34 Quatuor estimationis sit difficilis, & quod periti estimatorum debeant assignare rationes.
- 35 An peritus debeat referre distinctè pretium singulorum membrorum.
- 36 An possint estimari à peritis bona consumpta, vel alia non existentia.
- 37 Ad electionem peritorum deveniendum est in subsidium.
- 38 An liquidatio præcedere debeat sententiam, que alia sit nulla ex hoc defectu.
- 39 Exequutio pro re illiquida fieri non potest, sed bene condemnatio.
- 40 De distinctione diversorum pretiorum.
- 41 De valore merè civili, & quod non dicitur illiquidum id, quod potest liquidari cum sola calculatione arithmetica.
- 42 Quando proprie dicitur creditum illiquidum, & non exequibile.
- 43 De eodem, ac declaratur.
- 44 An & quando detur appellatio à liquidatione remissive.
- 45 Liquidum non est retardandum ob illiquidum.
- 46 De liquidatione pretii naturæ bonorum stabilium, & aliquorum mobilium, puta gemmarum, & tabellarum picturarum.
- 47 De estimatione stabilium ex fructu ad rationem quinque pro centenario.
- 48 Quid de feudilibus, vel jurisdictionalibus.
- 49 Quomodo dicta conclusio præcedat circa estimationem regulandam ex fructibus.